

Eintrag.

N. 60. 5.



19.
CANTICUM CANTICORUM,
Sive
Epitalamium Iesu Christo &
Ecclesiæ Sponsis beatissimis, &
sanctissimis.

ANTE ANNOS clc clc lxxiv.

Aut præterpropter

à
SALOMONE

Sapientissimo Judæorum rege scriptum,

Et hodie Anacreonte redditum, consecratumq;

Nuptijs auspiciatissimis, & faustissimis, Humanissimi
& Politissimi viri,

Dn. M. IOHANNIS STUMPFII,

SCHOLÆ BYRUTHINÆ RECTORIS

INDUSTRIOSISSIMI,

Cum

Amabili & casta admodum virgine,

KUNIGUNDA,

FILIA

Reverendi & Clarissimi Viri,

Dn. M. MATTHÆI CHYTRÆI,

BYRUTHI Ecclesiastæ, sacri ibidem Senatus Assessoris & supe-
rioris in Franconia Marchionatus Brandenburgici Superinten-
dentis specialis laudatissimi,

Fautoris & Mæcenatis omni studio mihi colendi.

à JOHANNÉ CÖRBERO, URFRERSHEMIO-FRANCONE.

VVITEBERGÆ,

Typis Johannis Gormanni, Anno clc lxxiv.

Reverendo, doctissimis ac Humanissimis

VIRIS,

Dn. M. MATTHÆO CHYTRÆO,

SOCERO,

&

Dn. M. IOHANNI STUMPFIO,

SPONSO, AC GENERO,


salutem.



*Ue is donem teneros meos modillos?
Hos inquam teneros Anacreontes,
Quam, Chytræ, Tibi, tibiq; Stumpsi?
Nam te, Stumpsi gregis Decor noveni,
Facit blandula sponsulilla sponsum,
Et te, magne DEI ac polite Mystes,
Te facit socerum, Chytræ, gnata.
Quin uterq; meos habere versus,
Quin uterque meas habere curas
In quodam precio solebat olim.*

*Ergo largior hos Anacreontes
Tibi præcipue beata biga,
Et votum quoq; jungo Nuptiale,
Ut quo Christus amore sponsulillam
Suam prosequitur, deinde eodem
Tuam sponsule prosequare sponsam,
Tuum sponsula prosequare sponsum.*

Johannes Cörberus.



ODE PRIMA
SULAMITHA.

Age Sponse, care Sponse,
Age blandicelle sponse,
Labellulis labella
Meis venusta junge;

Age mille basiorum
Mihi da meam subinde
Ad flagrationem,
Ad postulationem.

Age da, quid immoraris?
Namq; est tuo profectio
Nil conferendum honori,
Nil comparandum amori.

Tu, care sponsulille,
Et mulseos vapores,
Et nectaris saporos,
Et balsami liquores
Et quicquid est ubiq;
Segetis fragrantioris;
Et quicquid est ubiq;
Laticis beatoris
Beneolente odore vincis.
Et ignis hinc, & ardor,
Ignis puellularum,
Ardor puellularum
Harum, inquit, omnium exstas,
Quas universus orbis
Qua flammeata Phœbi
Fax surgit, occiditq;

Gremio patente servat.

Age sponse, care sponse,
Trahe me Tuis lacertis,
Ut concito meatu
Te subsequamur omnes,
Ad te volumus omnes.

En ad suum prehensam
Me Rex cubile ducet!
Ut ibi decenter illum
Et jubilis feramus,
Et laudibus vehamus.

O Rex, tuo profectio,
Nil est amore, nil est
Meliusq;, dulciusq;:
Te diligit bonorum,
Te diligit piorum,
Animo lubentiore,
Animo faventiore,
Simul undiquaq; cœtus.

Nigella sum, quid ergo?
Nigella sum, Puellæ,
Solymitides Puellæ;
Sed cum venusta, nec me
Suo decore vincunt
Bona Kedarina, nec me
Salomonij tapetes
Suo nitore vincunt.

Nolite contueri
Adeò minace vultu
Ad hunc meum nigrorem,
Sic Phœbus estuante
Me torruit calore.

A 2 Nam

Nam vineam tuendam
Mihi credidēre fratres:
Sed ego misella ruri
Alijs retenta curis
Minus hancce dum procuro,
Mihi vineam ferarum
Ferocitas totondit.

At dic mihi *VOLVPTAS*,
ANIMÆ MEÆ VOLVPTAS,
Dic quæso, dic roganti,
Ubi pascuum sequaris?
Ubi sint tuæ futuræ
Meridiationes,
Dic quæso dic roganti?
Nam quid? quid huc & illuc
Pudibunda virgo cursem,
Et ex procace turbâ
Sodalium tuorum
Ubi sis, ubi pascas?
Pudibunda virgo quæram?

SALOMON.

Tenē ō venustiorum,
Regina Fœminarum
Tenē hoc latere dicam?
Si quæris, euge prodi,
Et intuere pressos
Pedunculos bidentum,
Et ibi tuas Capellas,
Ubi nostra turba pascit,
Ad ovile pascē nostrum.
Ego te, tuamq; formam,
O bellicella Sponsa,
Ego te tuamq; formam,
Equitatu Quadrigis
Pharaonis jugato
Cum laude compararim,
Genulas tuas utrasq;

Et hinc & hinc inauris
Pulchellule venustat:
Collumq; gemma præstans,
Torquisque splendidatus
Venustule coronat.

Et ego insuper parabo,
[Ut largitudo nostra,
Et amor tibi probeatur]
Ego insuper parabo
Tibi aureum monile,
Argenteisque clavis
Illud subindē nectam.

SULAMITHA.

Ubi *REX-AMICVS* ardet
Gremio insidere nostro,
Tunc Nardinos saporos
Beneolente spirat ore,
Et ubi meis faventer
Papillulis adhæret,
Meus est amicus ille
Veluti beara Myrrha,
Velutiq; dulcis uva,
Qualis vel in Viretis
Engaddinis fovetur,
Meus est Amicus ille.

SALOMON.

Sane es venusta, Sponsa,
Et amabilis, decensq;
Columbulæq; vincis
Ocellulis ocellos.

SULAMITHA.

Et Sponse tu venustus
Et amabilis, decensq; es.

Toru-

Torulusq; noster omni
Formositate vernat;
Domunculæq; nostræ
Cyparissinis columinis,
Et Cedrinis tigillis,
Miro nitore lucent,
Miro decore splendent.

ODE SECUNDA.

SALOMON.

Ego flosculus Saronis,
Ego sum Rosella, in imis
Valleculis virescens.

Veluti Rosella spinas
Inter venusta lucet;
Sic splendet inter omnes
Virgunculas *AMICA.*

SULAMITHA.

Velut inter arborillas
Steriles onusta malus:
Sic vernat inter omnes
Juvenculos *AMICVS.*

Huius iuvat sub vmbra
Melassulam sedere,
Adeoq; delicatis
Cupiente gutturillo
Benè frugibus potiri.

At ecce præter omne
Meritamq; speculamq;
In cellulam lyxo
Ter amabili refertam
Meductitare gestit,
Ibi gaudialis ille
Vexillifer *CVPIDO.*

Me contegit recepram;
Ibi odore flosculorum,
Et honore pomulorum,
Animum hunc amoris igne
Vehemente vulneratum,
Animum hunc amoris æstu
Torrente sauciatum
Recreare rursus audet.

Caput hoc meum subinde
Levâ illius tenerur,
Dextraque molli cellum
Pectusculum fovetur.

SALOMON.

Adjuro vos, puella,
Solymitides puella,
Per cervulos, & omnes
Per hinnulos deinde:
Ne sponsula quietem,
Ne somnulum beatum,
Beatulumq; somnum
Quod ipsa sponte tandem
Se surrigat cubili,
Tumultuosiore
Strepitu improbè fugeris.

SULAMITHA.

Nisi fallor, hic *Amici*
In audio sonores!
En prodit, ecce prodit!
Et montium salebras,
Et collium latebras
Pede transiens citato,
Capreasq; cervulosq;
Velocitate vincat.

Quin præsto *Amicus ille.*

A; Ami-

Amicus ille noster,
Et proximus mearum
Est ædium columnis :
Jamq; exeret coruscum
Meis caput fenestris,
Et blandulis ocellis,
Vultuque bellicello,
Me contuens. venustis
His oculis salutar.

SALOMON.

AMICA, quid moraris,
Heus heus *Amica,* surge,
Speciosa virgo surge,
Hiems maligna cessit,
Nigellulæq; nubes
Abiêre, prata vernant,
Apparuêre flores,
Et amabiles virores,
Et blandulos colores,
Et pulcra germinilla,
Rosibellulo nitore
Et herbulenta ferra
Lepidillulo decôre,
Ver undiquaq; promit.

Jamq; ecce gutturillo
Et vocola gemente.
Socio relicta *Turtur*
Nemora universa complet.

Jam grossulis amicta
Ficus novis tumescit,
Et gemmulas odora,
Vitis decenter adfert.

AMICA, quid moraris !
Heus heus *Amica,* surge,
Speciosa virgo surge,
Veni *Columba* nostra,

E saxeis latebris,
E concavis salebris
Veni *Columba* nostra.

Fac ut tuam tueri
Faciem queam frequenter,
Fac ut audiam loquentem,
Nam mille dulcitates
Tua pulcra labra spirant :
Et mille suavitates,
Et mille dignitates,
Sapiunt tui sonores,
Sapiunt tui lepores.

Vos interim sodales
Vulpeculas feroces,
Quæ vitium renellos
Racemulos vorarunt :
Venamini, & petulcas
A vineis fugate.

SULAMITHA.

Meus est Amicus ille,
Nec ego minus vicissim
Illi dicata vivo :

Meus est Amicus ille,
Qui pascit unus inter
Rosulasq; calthulasq;
Interque blandiora
Qui lilieta pascit,

Meus est Amicus ille.

Age sponse, care sponse,
Ex montibus jugosis,
Qui dividunt amantes,
Dum Sol remittat æstus,
Huc huc redire perge :
Velocior capellis,
Pernicioque cervis,
Huc huc redire perge.

ODE

ODE TERTIA.

N lectulo jacebam,
Nec ocellulos beatus
Mihi sopor tegebat:

Jamq; ecce quæritabam
Anima mea lepores,

Sed nusquam locorum,
Licebat invenire

Anima mea lepores.

Quid mæsta factitarem ?

Subito per angiportus,
Per viculos, viasq;

Queribunda cursitabam:

Sed nusquam locorum
Licebat invenire,

Anima mea lepores.

Agiles prehendo forte,

Vigilantium cohortes,

Ubi vos putatis, inquam,

Vigilantium cohortes,

Me posse repperire

Anima mea lepores ?

Vidisse se negabant,

Sed paululum deinde

Mihi longius vaganti

Mox obviabat ille,

Qui servat unus omnes

Anima mea lepores.

Quid læta factitarem ?

Subito venusta colla

Eburneis lacertis

Decenter implicabam:

Et in aureos penates,

Genitriculæ penates,

Et in ardaum cubile,

Genitriculæ cubile

Subinde ductitabam

Anima mea lepores.

SALOMON.

Adjuro vos, Puella,

Solymitides Puella,

Per cervulos, & omnes,

Per hinnulos deinde,

Ne sponsula quietem,

Ne somnulum beatum,

Beatulumq; somnum

Quoad ipsa sponte tandem

Se surrigat cubili,

Tumultuosiori,

Strepitu, improbè fugeris.

Quænam aridis salebris

Venusta Virgo prodit ?

Quænam halat hos vapores ?

Hos Thureos liquores ?

Hos Myrrheos odores ?

Violasq; Cinamumque,

Et quicquid est ubiq;

Aromatum bonorum,

Venusta virgo spirat ?

SULAMITHA.

SALOMONIS en cubile,

Hoc regium cubile,

Deciesq; seni ab isto,

Deciesq; seni ab illo,

Laterè Ilaci coronant

Fortissimi nepotes ;

Et quisque doctus arma,

Gladio coruscus adstat,

Ne nocte dormienti

Vis inferatur ulla,

Damnum inferatur ullum.

Idem

Idem ille Rex decentem
E Cedrinis rigillis
Sibi thronum paravit:
Hunc eleganter ornant
Argentæ columnæ,
Hunc aurei tapetes,
Et purpurante tinctum
Multum sedile succo,
Et inrimi recessus
Solymes puellularum
Amore ubiq; sculpti
Satis evidenter ornant.

Properate contueri,
Virgunculæ Sionis,
Salomoniam Tiaram.

Properate ter venustam
Coronulam videre,
Quam Rex decens ab ipsâ
Genitrice, nuptiarum
Dieculâ recepit,
Ubi illius frequenter
Genus omne gaudiorum,
Genus omne dulcitarum,
Genus omne suavitarum
Pectusculum tenebat.

ODE QUARTA.

SALOMON.

SAnè es venusta sponsa.
Et amabilis, decensq;
Ocellulosq; vinctos
Hinc pendulis & inde,
Hinc crispulis & inde
Cincinnulis, adinstar
Habes columbularum,

Similes tui Capilli
Pilis Capellularum,
Quas pascit in viretis
Gileadinum cacumen.

At dentium tuorum
Ordo gemellus ille,
Par est ovicularum
Formosulis capillis;
Ubi vitreis fluentis
Pulchellulæ recedunt,
Ubi fætibus gemellis
Comitantur vniversæ,
Nec inter vniversas
Sterilis videtur vlla.

E coccinis labellis
Putapura mella fundis:
Gonulasq; blandicellas
Rubicundulo colore,
Ad tortulos capillos
Hinc inde pomulorum
Geris instar aureorum.

Tua colla promerentur
Ubiq; comparari
Cum turribus Sionis,
Ubi multa scuta lucent,
Pendentq; milleformes
Satellitum sagittæ.

Par vberum tuorum
Velut hinnuli gemelli,
Qui pascuum sequuntur
In floridis rosetis,
Pulcrisq; liliectis,
Dum Sol remittit æstus,
Et improbi calores,
Properanter orbe cedunt.

Sed ipse nil moratus
Ad Myrreos adibo
Pede cursicante montes:

Ad

Ad Thureos adibo
Pede concitante colles,

AMICA rute mons es,
Ubi Myrrheum viretum,
Amica rute collis,

Ubi Thureum rosetum,
MEA LVX, meumq; mulsam,
Mea candicans *Amica*,
Amica pulchra certe es,
Nec turpicella labes
In te videtur ulla.

VENI VENUSTA SPONSA,
Veni decora *Sponsa*,
Veni, quid o moraris?
Libani relinque culmen,
Et *Amana* senticeta,
Prodi jugis *Seiri*,
Prodi venusta, prodi,
Eq; *Harmonis* latebris,
E rupibus leonum,
E *Tigridum* cavernis,
Prodi, venusta, prodi.

Ah blandicella Sponsa!
Ah Sponsulilla blanda,
Soror optima o Sororum!
Decens ocellus ille,
Tuus, inquam, ocellus ille,
Mihi corculum omne cepit.

Ah blandicella SPONSA,
Ah SPONSVLILLA blanda,
En pulcher ille torquis,
Tuus, ajo, torquis ille
Mihi corculum omne cepit.

Ut amabiles *PAPILLAE!*
Mea Sponsa, chara Sponsa,
Soror optima o Sororum,
Ut amabiles *Papilla*

Tibi sunt! ut eleganti
En promicant decore!
Ut pura vina vincunt!
Ut balsami liquores
Jucundo odore vincunt!
Tua labra mella sudant,
Tua lingua lacte stillat,
Et vestium tuarum
Odor refragrat auras,
Libani virentis auras.

Ah bellicella Sponsa!
Soror optima o Sororum,
Tu pessularum hortus,
Tu limpidum fluentum,
Tu fons es obseratus,
Tuus hortus ille pulcher
Paradisus herbularum est,
Hic suavis erubescit
Roseo colore malus:
Hic *Cypris* atque *Nardus*,
Crocusq; *cinnamumq;*,
Hic *canna*, *Thus* *sabzum*,
Hic omnis *arborilla*,
Aloesq; *Myrrhulaq;*
Et quicquid est ubiq;
Odoris & saporis,
Numero frequente crescit.

Par es, Venusta, par es,
Par es, Venusta, Fonti
Aquila vnde viva currit:
Libani velut fluentis,
Quiq; hortuli virores
Virreo irrigat liquore,
Lepido afficit nitore.

SULAMITHA.

Aquilo ferox recede,

B

Vche.

Vehementiore flatu:
Recede, Tu, sed euge
Tu surge *lenis Auster*,
Et hortulum novellis
Citò flosculis corona.
Ut nempe nunc *Amicus*,
Amicus ille noster,
Celer advolet, suisq;
Heic fructibus fruatur.

ODE QUINTA.

SALOMON.

Venio *venusta SPONSA*,
Mea *bellicella SPONSA*,
Soror optima, ô Sororum!

Venio in meum rosetum,
Et Myrrheos odores,
Et Aromatum decores
Gravidante carpo dextrâ.

En Mel meum comedi,
Favosq; dulciores:
En albicante mista
Cum lacte Vina suxi.

Heus heus adeste, amici,
Edite, & meo liquore
Vos largiter rigate,
Mecumq; tristiores
Animo fugate curas,
Mecumq; lætiores
Animo ciete plausus.

SULAMITHA.

Placidâ fruor quiete
Ocellulos; sed altè
Animum vigil recumbo,
Jbi dum meas *Amicus*

Pulsat frequenter ædes,
Et voculis sonoris
His excitat jacentem.

SALOMON.

Mea *LUX*, mea *integella*,
Mea *SPONSA* pande portam,
Columbilla pande,
Pande ô *venusta portam*.
Undante rotculillo
Caput est meum liquatum,
Cinnamulique guttis
Humectulis madescunt.

SULAMITHA.

Tunicâ cubo solutâ,
Anne induam vicissim?
Lavi pedes tenellos,
Hosne inquinabo rursus?
Sed quid *misella* cesso?

Quid ago *misella*? carus,
Mihi unice ille carus
Ardens Amicus irâ.
Abiturus hinc citatim
Serâ manum reducat.

Misella contremiscens
E lectulo resurgo,
Seramque delibutam
Opobalsami liquore,
Et *Myrrhino* vapore,
Ubique deprehendo.

Meus alt *AMICVS* ille:
Procul interim recessit:
Ah ah quid endocceptem?
Hinc inde cursitabo,
Hinc inde clamitabo:

VBI

VBI TV LATES, VOLVPTAS!
ANIMÆ MEÆ VOLVPTAS!

At ô irritos labores!

O voculas inanes!
Nec ille quæritanti
Subituspiam locorum,
Nec ille clamitanti
Responsa læta reddit.

Sed Agrestis appropinquat
Vigilum mihi tumultus,
Hi verberant misellam,
Hi vulnerant misellam,
Rapiunt manuq; peplum
Subitò ferociore:

Adjuro vos, PVELLÆ,

Solymitides Puella,
Si forte an videtis
Amiculum huncce nostrum;
Illi indicate nostros
Gemente voce casus,
Illi indicate, ab ejus
Amore sauciata,
Amore vulneratam
Me in lectulo jacere.

PVELLÆ.

Quid ergo, SVLAMITHA,
Regina pulchritatis,
Quid est Amicus ille,
Tuus, inquam, Amicus ille,
Præ cæteris Amicis,
Adeò quod adprecaris?

SULAMITHA.

Meus est Amicus ille
Nive purior tenellâ:

Meus est Amicus, inquam,
Formosulis profecto
Formosior rosellis:

Meus hic Amicus ergò
Mihi plus amatur, atque
Bis mille cæterorum,
Ter mille cæterorum.

Radijs caput coruscat
Magis aureo monili.

Est nigriorq; corvo
Coma crispa nigricante.

Oculi columbularum
Ocellulos adæquant,
Propè lacteas ut undas
Se perluunt, nec ulla
Hos ruga succiplenos
Unquam maligna sulcat.

Genule decentiores
Sunt hortulis decoris,
Quos sedulo labore
Aromatumq; cultu
Mirabili bonorum
Olitor probè venustat.

Rosulis Labella pulchris
Sunt conferenda, quando
Opobalsami liquore,
Et Myrrhino rigantur.

Manus utraq; enitescit
Velut annulus Pyropi,
Quem flammulæ coronant.

At Eburnus ille venter
Lapidesq; gemmulasq;
Maris æquat vniuersi,
Quasi fabricata pulchrè
Lucente Marmorillo,
Et aureo Metallo.
Viden' enitere crura?

B 2 Quid

Quid multa? forma tota est
Adeò venusta, nil ut
Desiderare possis,
Quin immò totus æquat
Libaniq. Cedrinamque
Ubique pulcritatem.

Ejus diserta *Lingua*
Putat pura mella promit,
Et quantus ille, totus
Est dulcitas, & idem
Est suavitas, & idem
Et pulcritas, *Amicus*,
Amicus ille noster.

TALIS mea *Puella*,
Solymitides Puella,
Ne porrò nesciaris,
Præ cæteris *Amicis*,
Meus est *amicus ille*.

ODE SEXTA.

PUELLÆ.

Dic verò *SULAMITHA*,
Regina pulcritatis?
Dic quonam abiit ille?
Decens *Amicus ille*,

Quo transiit? repente
Nos quæritemus *illum*
Ubi cunq; sit locorum,
Tibi que conferamus
Operas libenter omnes.

SULAMITHA.

Mihi uni e ille charus,
Meus, inquam, *amicus ille*,
In hortulum suorum
Aromatum recessit:

Ut ibi suos venusto
Pascat colore vultus,
Ut ibi *Rosellularum*
In blandulis viretis,
Quicquid sibi allubescit,
Digito tagace carpat:
Meus est *Amicus ille*,
Qui pascit in *Rosetis*,
Meus est, & ipsa contra
Illius æviternum
Soror atq; *Sponsa* dicat.

SALOMON.

AMICA TOTA pulcra es,
Et suavitate *Thyrzam*,
Venustiore vincis:
Es *Amabilis*, *Sionis*
Veluti aureæ columnæ,
Eademq; torva summo
Animos tremore pungis,
Ubi fervidis ocellis.
Aciem æmulata belli
In improbos minaris.

Age flammeos parumper
Ocellulos reflecte,
Reflecte; quid moraris?
Imas mihi medullas
Et corculum penetrant.
Similes tui *capilli*
Pilis capellularum:
Quas pascit in viretis
Gladium, cacumen.

At dentium tuorum
Ordo gemellus ille,
Pareit ovicularum
Formosulis capillis;
Ubi vitreis fluentis

Pulchell-

Pulchellulæ recedunt,
Ubi foetibus gemellis
Comitantur universæ,
Nec inter universas
Sterilis videtur ulla.

Genula tua venusta
Rubicundulo colore,
Ad tortulos capillos
Sunt instar aureorum
Hinc inde pomulorum.

Sunt lexies decenæ
Equidem mihi maritæ,
Deciesque concubinæ
Sunt octo, cæterarum
Nec virginum ullus ordo
Numerusq; computandus.

Sed una labis experts,
Vna est mihi columba,
Una est amor, suæq;
Genitricule voluptas,
Hanc cæteræ puellæ,
Hanc regis maritæ,
Ejusque concubinæ,
Ter prædicant venustam,
Ter cantitant beatam.
Et ubi illius videre,
Licet aureos ocellos,
Quanam, inquirunt, puella
Vt rorulenta mane,
Palantis, erubescit?
Vt noctiluca sero,
Diana purpurascit?
Vt fax honora phœbæ
Speciosa prænitescit?
Quæ torvulum cornusca
Acies velu tueretur!

SULAMITHA,
Ego lata me recepi

In floridum nucetum;
Ut nempe conspicarer
Ibi plantulas renellas
Valleculis in imis
Hinc inde prodeuntes.

Ut conspicarer illie
In musteo vireto,
An vitis alma gemmis
Lepidillulis tumeret?
An punicum arboretum
Foliisque flosculisq;
Et granulis ruberet?
Sed enim ipsa nesciebam,
Quod vecta Aminadabi
Celerrimis quadrigis
Traherer repente retro.

SALOMON.

Redi, redi puella,
Redi amica SVLAMITHA,
Redi, quid immoraris?
Nec amplius videndos
Negita tuos ocellos.

SALOMON AD
PVELLAS.

Quoad usque spectitatis,
Solymitides Puella,
Hujusce pulcritatem!
Hujusce pulcritatem,
Quæ par potest haberi
Mahanaidos choreis,
Quoad usq; spectitatis?

ODE SEPTIMA.

SALOMON AD
SPONSAM.

B 3 Ut

VT bellulæ venustant
Soleæ pedes tenellos.
Ut pulcher & decorus
Tuus est, *Amica*, gressus!
Junctura tibiaram
Est aureum monile,
Quod nodulis politis
Manus expedita Fabri
Ubique circinavit.

Tuus umbilicus ille est
Tornatilis diota,
Cui nulla vina defunt.

Venterculus Rosarum
Segetumq; messiumque
Acervulos adæquat.

At sunt tuæ *papilla*
Velut hinnuli gemelli,
Tua mollicella *colla*

Similant suo nitore
Eburneos penates:
Ocelluli deinde,
Ocelluli fluores
In portulis Batrabbi
Amænitatem vincunt.

Tibi *nasus* est, ut illa,
Quæ respicit Damascum,
Libani decora turris,
Caput ut crepido montis
Corpusculo superstat.

Sed tortuli *capilli*
Ut purpurans Tiara
Tibi verticem coronant.

Ut *amabilis venustas*,
Ut *evidens voluptas*
Te circum, *Amica*, vernat!
Tua palmulæ virentis
Statura, at uvularum.

Renitent modo *papilla*,
Animo meo allubescis
Ramusculis prehenfis
Has palmulas virentes,
Hanc scandere *aborillam*,
Papillulis ut istis
Velut uvulis fruisca;
Ut *narium* tuarum
Me dulci odore pascam.

Tua *Sponsa gutturilla*,
Quæ nobilem *Lyxum*
Dulci sapore reddunt,
Hilarent mihi medullas,
Has intimas medullas,
Et excirent labella
Hæc, inquit, Labella
Ad plusculos lepores,
Ad plusculos sonores.

SULAMITHA.

Meus est *Amicus ille*
Meus est, & ipse contra,
Me flagrat, & cupitam
Penitis amat medullis.
Veni, veni, *venuste*,
Veni *amicule euge noster!*
Veni! colamus agros,
Et villulas deinceps
Habirabimus quietas!
Ut ibi statim sub ortu
Primo diecularum
Ad vineas eamus,
Et conspiciemur illic
An vitis alma gemmis
Lepidillulis virescat!
An punica arboreta
Foliisque flosculisq;

Et

Et granulis rubescant!
Ibi meos amores,
Ibi meas papillas
Tibi largiar volenti,
Tibi largiar petenti.

En flosculos odoros!
En roscidas rosellas!
Quæ dulciter nitescunt
Decore multiformi,
Colore multimuni
Quæ suaviter virescunt.
Ex his, & his, & illis,
Quicquid tibi expetiscis,
Digito tagace carpe.

ODE OCTAVA.

SULAMITHA.

UTinam, Venuste Sponse,
Mibi Frater ipsus esses,
Et lugeres rotundas

Meæ, inquit, rotundas
Genitriculæ papillas.

Ita te foris prehensum
Sine pipilante risu,
Sine invidis cavillis,
Sine improbis cachinnis
Hominum maligniorum
Ubiq; bastarem,
Ubique suaviarer.

Ita te foris prehensum
In intimum parentis
Deducerem cubile,
Ut me peritus omnem
Sapientiam doceres,
Et sic tibi vicissim
Darem inclytum lyæum,

Et Nectaris saporas,
E punicisque pressum
Tibi pomulis liquorem,
Amice, funditarem.

Capiti meo subinde
Tua læva subjaceret,
Et dextra mollicellum
Pectusculum teneret.

SALOMON.

Adjuro vos, Puella,
Solymes Decor Puella,
Ne *Sponsula* quietem,
Ne *somnulum* beatum
Beatulamque somnum,
Quoad ipsa sponte tandem
Se surrigat cubili,
Tumultiofiore
Strepitu improbe fugetis.

ADOLESCENTULÆ.

Quænam illa pulcra virgo!
Citatulo ineatu
E saltibus jogosis,
Quæ tam repente prodit!
Quæ prodit, & fidelem
Ardentibus precillis
Amiculum reposcit?

SALOMON.

Hic te venusta Sponsa,
Mea bellicella sponsa,
Sub floridante malo
Reperi, ut decente partu
Tua primulum genitrix
Te vividas in auras
Hilarata proferebat.

Tu

Tu corculo tuo me
Insculpito, ut sigillum,
Tu brachio tuo me
Circundato ut monile.
Tuus æstuosus ignis
Nece fortior vel ipsa :
Tuus incitatus ardor
Styge durior vel ipsa
Tua flamma, flamma SVMMI est,
Quam nec maris profundum,
Nec stinxerint aquarum
Alia uspiam fluenta.

Et hunc nitore nullo,
Opulentitate nulla,
Preciositate nulla,
Opimitate nulla,
Nulla; dulcitate,
Nullaque pulchritate
Ipse Hermus, Ipse Ganges
Equare posset unquam.

O parvulam sororem!
Nostram, inquit, sororem!
Videsne mollicella
Ut adhuc papilla nulla?
Quid, amabo, tunc, quid ergo?
Si postuletur, olim
Præstabimus tenellæ?

Eritne murus? illi
Superinstruemus amplos
Argenteis metallis
Palatij labores.

Eritne porta? pulchrè
Nos muniemus illam
Columnulis decoris,
Et cedrinis tabellis.

SULAMITHA.

Ego sum futura murus,

Geminæque Turris instar
Erunt meæ papillæ,
Nec amplius vel ullus
Est murus expectendus.
Nec amplius, vel ulla
Et Turris erigenda,
Nam pax ubique vernat,
Pax est ubique dulcis,
Ocellulisque Sponsæ
Placeo uniter venustis,
Placeo uniter decoris.

SALOMON sibi paravit
Endo Bahalhamonis
Amæculo vireto
Collem uvidum racemis,
Et eumpse possidendum
Laboriosiori
Dedit hætenus popello.

Sed ita tamen locavit,
Ut ferret annuarim
Sibi quisque mille siclos
Hac pro locatione.

Prope me meum viretum,
Agriq; mustulenti,
Quos ipsamet procuro:
Et habeto mille siclos
SALOMON tibi quotannis,
Et alteros ducenos
Sibi colligant coloni,

SALOMON.

Quæ blandulum rosetum
Meæ Sponsæ, habere gaudes,
Age dulce te vacivis
Frequenter auricellis
Fac audiam loquentem.
Age dulcete, SODALES,

Fre-

Frequenter auricellis
Fac audiant loquentem.

S U L A M I T H A.

Quid vis, Amice, nostras
Audire cantiones?
Quin gressibus citatis

Velut hinnuli feroces,
Et concitæ capellæ,
Potius meos ad hortos,
Ad florulenta prata,
Aromatumq; campos
Tibi devolare mens est,
Et incitans voluptas?

F I N I S.

Sponsus Sponsæ suæ sva-
vissimæ.



*P*aulatim tepor ille fugit dulcissimus anni,
Et VERISTEMPUS vividioris abit.
ÆSTAS subrepat, pariterq; potentior ÆSTVS
Indolvit dominas in mea corda faces:
Indolvit, MEA VITA, faces, & lampadas infert,
Non quas lascivæ Cypridos ardor amat:

Sed quas ISAACUM quondam sensisse loquuntur,
Posceret auxilium quando REBECCA tuum.
Aut quas percepit juvenanti corde TOBIAS,
Cui pia jucundam SARA ferebat opem.
Tu quoq; qua tanti mihi sola es causa doloris,
O ANIMÆ REQUIES, DELICIVM Q; MEÆ.
Tu quoq; confer opem, (nam delectare puellas
Et prodesse bonis, quâ licet arte, decet)

C

Confer

Confer opem, Thalamisq; lubens illabere nostris,
Gestiet adventu mens mea salva tuo.
Hoc PATER, haud injusta peto; GENITRIX Q; DEUS Q;
Quin hoc innumeris vocibus IPSE rogo.
IPSE ROGO: Pietas tua vix mandata Parentum,
Atq; Dei, & gemitus riserit hosce meos.
Eja igitur, (mora damna parit) DULCIS SIMA RERUM,
Ocyus arduas stinguere perge faces;
Stinguere perge faces, TIBI mens mea tota vicissim
Serviet in cunctas officiosa dies:
PARCA VIAS vita non casum rumpet AMORIS,
Qui Tibi perpetuo tempore fidus erit.
NON ALIO QUAM CHRISTUS AMAT QUO PE-
CTORE SPONSAM,
ÆTERNUM SPONSAM TE DE AMABO MEAM.

Sponsæ ad Sponsum Responsio

Nlla dies igitur tandem lætissima surgit,
Quo dicar thalamo nupta reperta tuo:
Evenit quo velle Dei, quo vota Parentum,
Et desiderij pura Cupido mei:
Amplius ò quisnam, quisnam fatalia porro
Esse neget casti foedera casta tori?
Ipse Deus fons est, Deus ipse est autor AMORIS,
Conciliat nuptos vnus & ille novos:
Hic Te, Sponse, meo iussi flagrantier igne,
Hic Me, Sponse, tuo iussit ab igne capi:
Namq; mihi rimas animæ, penit asq; medullis,
Et pariter totum Cor penetravit Amor.

Cur

Curigitur (si agrotā potest conferre salutem)
Auxilium præstem non tibi sponte meum?
Auxilium tibi præsto meum, minuoq; calores,
Inq; tuo exortas deleo corde faces.
Tu redde officium, nam ceu flos marcet in hortis,
Syrus æstivos cum premit ardor agros:
Illum nec Zephyri mulcent, nec nexilis umbra,
Ros tantum, & placidam fert levis imber opem.
Sic ego amore tuo sum saucia tota, nec alter
Auxilium præter te mihi ferre potest.
Da mihi Te, namq; ipsa Tibi me dedo vicissim,
Sum Tua, quid dubites? sum Tua, pone metum.
Iupiter Europam rapuit sub imagine tauri,
At tibi non opus est hic bove, sponte sequar.
Sponte sequar Te SPONSE lubens, vivamq; deinceps
Et Tecum, & tristem prompta subibo necem.

Votum.

CHRISTUS, amore novi qui Sponsi comparat ignem,
Erga Christicolas quem fovet Ipse suos,
Vivere det vobis multos concorditer annos,
Omnimodaq; eorum prosperitate beet.
Quodq; velint animi vestri nolintq; faventer
Hac eadem nolit semper, & illa velit.

Ab eodem Cōrbero.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.]







Ja 4467

ULB Halle
005 375 053

3




WNA

TA → ^{VD 18} OC

[Handwritten signature]







CANTICUM CANTICORUM,
Sive
Epitalamium Iesu Christo &
Ecclesiæ Sponsis beatissimis, &
sanctissimis.

ANTE ANNOS clc clc lxxiv.

Aut praterpropter

SALOMONE
Sapientissimo Judæorum rege scriptum,

Et hodie Anacreonte redditum, consecratumq;

Nuptijs auspiciatissimis, & faustissimis, Humanissimi
& Politissimi viri,

Dn. M. IOHANNIS STUMPFII,
SCHOLÆ BYRUTHINÆ RECTORIS
INDUSTRIOSISSIMI,

Cum

Amabili & casta admodum virgine,

KUNIGUNDA,

FILIA

Reverendi & Clarissimi Viri,

Dn. M. MATTHÆI CHYTRÆI,
BYRUTHI Ecclesiastæ, sacri ibidem Senatus Assessoris & supe-
rioris in Franconia Marchionatus Brandenburgici Superinten-
dentis specialis laudatissimi,

Fautoris & Mæcenatis omni studio mihi colendi.

à JOHANNE CÔRBERO, URTERSHEMIO-FRANCONE.

VVITEBERGÆ,

Typis Johannis Gormanni, Anno clc lxxiv.